

537

cujus Imperator iniquum Reipublicæ immerenti bellum intulerit, atque ob regnandi libidinem jurisjurandi violatam religionem contempserit? His, atque aliis a Foscaro dictis, subscribendi foederi decretum Senatus probavit.

*Senatus decreto
fodere sub-
scribendo.*

*Literæ in
Senatu pro-
posita, ut
Canali By-
zantium
mitteren-
tur.*

Deinde de literis ad Jacobum Canalem legatum scribendis latum est, quarum sententia hæc erat. *Vehementer Senatum commotum fuisse, quod Suleimanus Corcyrae insulam invassisset; atque eo vehementius, quod Alexandri Ursini reditu, uti spondelerat, minime expectato, ut de iis, quæ acciderant, Senatus mentem intelligeret, veteris pacis, atque amicitiae iura prepropero consilio abrupisset: neque vero Pesareum classis imperatorem in Salentinos profectum, ut suis rebus adversum aliquid moliretur, sed fortuito in Ottomanicam classem incidisse: verum Reipublicæ triremes male habitas, trierarchos captos, illatam immeritis necem, justo animi dolore conqueri: ceterum quæ de Suleimani propensa erga pacem voluntatate Ajax Canali renunciaisset, ea Senatui probari, atque id sibi suadere, mercatorum bona, quæ in variis illius imperii locis essent, sarta, tectaque conservatum iri, ne ii, qui regia fide illecti maximas opes negotiorum causa in suas regiones imporrassent, pessimo exemplo, jure gentium neglecto, deciperentur. Hæc summa literarum fuit: quibus ad Senatum perlectis, triduum Patribus, ut singuli de re gravissima secum reputarent, quod perraro fieri solet, concessum est; quo exacto, ut in suffragia iretur, propositis ad Senatum literis, Hieronymus Grimanus continentis Sapiens ita loquutus fertur.*

*Oratio Hiero-
nymi Grin-
mani.*

Exploratissimum est, Patres optimi, gravissima nos in re, ac difficillima versari, cum inter dubias belli, pacisque spes anceps animus hoc atque illuc impellatur. Nam post triginta atque septem annorum pacem, quam cum Ottomanis Regibus servavimus, quo tempore multæ ab illis virium, multæ regnorum accessiones incredibili felicitate partæ fuere, in difficilli belli aleam se committere quis maxime arduum, ac periculi plenum non arbitretur? quis non certam pacem ambiguis belli eventibus anteferat? Sed illud attente vos prospicere oportet, ne pacis nomine illecti, exili, atque, ut ita dicam, umbratili illius specie decepti, quæ vobis præcipue ad imperium, ac libertatem sustinendum necessaria sunt, inutili cunctatione,

ina-